



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

I. De quibus interrogare debet Parochus, antequam facit denuntiationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

*De inquirendis ante Denuntiationes.*

**P**RIUSQUAM Banna ( vt vocant ) siue ineunda inter certas personas matrimonia , publicè denunties ; consultissimum est , vt vel ex ipsis , qui contrahere volunt , vel iis , qui eorum causâ te adeunt , diligentius inquiras : Primò. An fortè castitatis voto non sint obstricti. Contingit enim non rarò , vt Adolescentes pueri , vel puellæ in primâ ætate immaturâ , & imprudenti , tamen sufficienti , ad castitatis votum profilierint , vnde à Matrimonio contrahendo impediuntur. Nam *in illis* ( inquit ex Apostolo Augustinus ) *que vouerunt castitatem , non solùm capeffere nuptias , sed etiam nubere velle damnabile est ;* vel quia non valet Matrimonium , si vorum fuerit solemne ; aut si fuerit simplex , saltem illicitum est contrahere , & coniugale debitum exigere , ante dispensationem.

Secun-



Secundò. Interrogabis, an futuri Sponsi fidem alteri non dederint, quâ adhuc teneantur; alioquin perfidus est, qui fallit. Quare subinde populum pro Concione moneas, vt caueant sibi puellæ à Iuuenibus insolentibus, vt fit, qui fallacibus promissis, & illecebris, fide etiam iuratâ Nuptiarum, eas seducunt. Non rarò enim illi quærunt aliud nihil, quàm vt deturpent, ac deinde deserant, quanto cum dedecore, & quibus nonnunquam lacrymis? Caueant quoque iuuenes à puellis inconstantibus, quæ & ipsæ subinde alliciunt, & æquè (vt sunt inconstantes) aliò amores, & nuptias transferunt.

Tertiò. Inquires, an Parentes consenserint; eorum enim est prolibus consulere, præsertim in tam graui negotio; ideòque licèt Matrimonium secùs initum valeat; tamen iis rationabiliter inuitis, illum vitæ statum eligere, non modò irreuerentiæ est, sed



etiam iniuriæ erga patriam potestatem. Ingressûs in Religionem alia est ratio; hîc enim DEVS magis, quàm parentes, consulendus. Expedi igitur de iis pro concione populum edoceri, simul tamen grauissimè reprehendi parentes, qui metu graui, vehementibus minis, aut etiam verberibus, proles ad ineundas nuptias cogunt, cùm statum castitatis, aut Religionis elegerint; aut cùm inire Matrimonium decreuerint, nimium vrgent, vt in Monasterium se intrudi sinant; aut, certè, vt cum iis contrahant, quas nollent: quibus ex rebus quæ scandala, & damna animarum sequantur, satis dici & deseri non potest.

NVM: II.

*Denuntiationes.*

**T**Ridentinum sess. 24. de reform. Matrim: cap. i. vt impedimenta, & grauissima incommoda præcaueri possint, vult tres denuntiationes à  
pro-